

deatur magis actionem significare vel importare, ac dare aut
comunicare, sicut ostendit Excell. Dn. Praeses in d. Disp. th. 6. In-
terea manet, istorum verborum, quantum ad praesens, eandem signi-
ficandi vim ac potestatem esse. 3. *Additur particula esse;* qua
denotatur, omne causatum esse a causa, & quidem dependentem.

§. 15. Clar. Dn. Sperlingius in *Tract. de orig. form. p. 59. dicit,*
dependentiam sumi dupliciter (quod non negamus) 1. generaliter,
quod quocumque modo indiget alio ad suum esse. 2. specialiter, & tum ter-
minum dependentiae sumit pro causali dependentia, atque sic imprimis rem
esse de dependentia effectiva & materiali. Sic ergo, juxta ipsum, forma-
tum & finitum a forma & fine non dependerent dependentiam spe-
ciali? Verum qui fieret, quod formatum & finitum non depende-
rent a forma & fine, contra materiatur a materia, cum tamen omnis
causa sit principium, quod importat influxum ad esse causati, & omnis causa
det atque communicet rationem suam alteri, ut loquitur Plur. Rever. & Ex-
cellentiss. Dn. D. Jacobus Martini in Partition. Metaph. s. 7. n. 20.
& 23. Ergo formatum similiter speciali modo dependentiae de-
pendet a forma, & finitum a fine; imprimis cum forma nobis-
liori modo causalitatem suam exerceat, ac materia; ergo & no-
biliori modo formatum a forma dependet. Verum plura super-
addere nolo, cum ipse sibi contradicat. Ait enim in Defens. Tract.
de orig. form. p. 226. c. 4. Dependens causalis est, qua effectus a causa
sua dependet. Haec dividitur pro ratione causarum in 1. effectivam, quae est
ab efficiente, 2. materialem, quae est a materia, 3. formalem, quae est a
forma, & denique finalem, quae est a fine; haec tenus Sperlingius.

§. 16. Denique 4. additur in definitione nostra: *in aliud,*
non, in aliquem, vel in alium, ut habet Suarez n. 9. quia oportet, ut
ipsummet esse sit causatum, & consequenter essentialiter distinctum ab es-
se ipsius esse, jam aliud absolute & proprie non dicitur, nisi de eo, quod est
in essentia diversum. Vide de hac re plura apud Abra. de Raconis in Phys.
p. 134. Declaratione tali putamus sine dubio definitionem causae
omnibus & solis quatuor causarum generibus convenire. Nec
videmus, quomodo declarata tali modo definitio causae vel ob-
Metaphorae aut Barbariem rejici a Dn. D. Drejero praenom. loco
possit. Si enim omnia barbara vocabula, aut si Tropi e foro Phi-
losophorum exterminandi sunt, non solum non manebit Philo-
Bsopho-